

rium in commune viventium erectae auctoritate ordinaria. »

Quae hactenus diximus, ea Lucius Ferraris in sua Bibliotheca verb. *Conventus* fusius pertractat, et Sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, et Decretorum Congregationis Urbis auctoritate confirmat.

Praecipua Monialium lex clausura est, qua egredi omnino prohibentur sub excommunicationis poena, nisi vis aut extrema necessitas egredi cogat; quum « ab omni lege extrema necessitas sit exempta, » cap. 3 de V. S. Item omnibus sub eadem poena vetitum est Monialium claustra ingredi, nisi ob veram Monasterii necessitatem, cum licentia tamen Episcopi. Namque Episcopis custodia Clausurae concredita est, ita quidem, ut quamvis Monasterium non Episcopi, sed Monachorum aut Regularium jurisdictioni subsit, custodia tamen Clausurae quorumcumque Monasteriorum ad solos Episcopos pertinet, quibus Tridentina Synodus mandavit, « ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate Clausuram Monialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent. » Sess. 25 cap. 5.

Huc pertinet Constitutio S. Pii V CIRCA PASTORALIS OFFICII die 29 Maii 1566, in qua: « Statuimus, ait, universas et singulas Moniales praesentes et futuras cujuscumque Religionis et Ordinis sive quae jam receptae sunt, vel in posterum recipientur..... etiamsi ex institutis..... earum regulae ad Clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis..... etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerint, sub perpetua..... de caetero debere permanere clausura..... Quod si contra hujusmodi hanc Nostram prohibitionem..... aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, et illarum quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus..... Caeteris autem omnibus sic absque emissione professionis et Clausura vivere omnino volentibus interdiciamus et omnino prohibemus. » Haec eadem ferme habet

Gregorius XIII Constitut. De Sacris Virginibus 30 Decembris 1572.

Sed praeter Moniales sunt aliqua mulierum domicilia, quae diversa Instituta et Regulas sectantur, quarum omnium unus idemque finis est recta educatio puellarum. Benedictus XIV in sua Constitutione QUAMVIS JUSTO 30 Aprilis 1749 Anglicanas Virgines quae educationi et disciplinae puellarum vacabant, triaque vota paupertatis, obedientiae, et castitatis nuncupabant, sine tamen lege clausurae, decrevit: « Non esse vere Religiosas; promissiones quae ab ipsis emittuntur, non esse ad summum nisi vota simplicia: » et quoniam praeter Praesides singularum domorum, Antistitem etiam seu Praesidem Generalem habebant, quae totum Institutum moderabatur, statuit: « nihil innovandum quoad Superiorissam Generalem; ejus tamen auctoritatem coercendam esse ad visitationem, superintendentiam in materia educationis puellarum, translationem Virginum de uno in alium locum, accedente debita subordinatione in praedictis ab Ordinariis locorum. » Denique Anglicanis Virginibus permisit, ut Institutum et Regulas retinerent, siquidem ut ait, « merito separandum est ex Virginum Anglicanarum Conservatoriis, universoque earum Instituto uberes optatae utilitatis fructus collectum iri. » Exinde S. Congregatio Episcoporum et Regularium, quotiescumque actum est de approbatione alicujus Instituti mulierum collegialiter viventium sine clausura, idque expedire judicavit, Institutum ipsum et regulas probavit (*cum votis simplicibus, et sub obedientia Ordinariorum*): imo, ob peculiare circumstantias, praesertim in Galliis, eadem S. Congregatio ann. 1828 et ann. 1829 decrevit: 1. « Vota quae in praesenti rerum statu a Monialibus in Regno Galliarum emittuntur, uti simplicia a S. Sede aestimari. » 2. Eas « lucrari posse Indulgentias omnes quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemniter emittentium secundum Institutum, seu Regulam respectivam concessae fuerunt. » 3. Denique Mo-

nialibus quae simplicibus votis obstrictae clausuram petierant, die 22 Februarii 1840, rescripsit: « ut accedente consensu omnium Monialium vocalium per secreta suffragia clausurae lex imponeretur. »

## § 130.

## DE SEMINARIIS CLERICORUM.

A primis usque temporibus nihil Ecclesia sanctius, nihil antiquius habuit recta institutione eorum qui in Ordine Clericorum cooptabantur. Huic fini assequendo magnum ei adjuvamentum attulerunt Monachorum Scholae *exterior*es et *canonicae* dictae, quae saecularibus Clericis patebant, in iisque religio et pietas aequae ac bonarum artium et maxime sacrarum disciplinarum studia colebantur. Mirum quot sanctissimi et doctissimi viri ex iis prodierunt, eorumque eximiae sanctitatis et doctrinae tot clarissima monumenta exstant, quot sunt eorum scripta quibus Ecclesiam Dei maxime illustrarunt. Episcopi quoque, in primisque S. Augustinus, omne studium, diligentiam atque operam in eo posuerunt, ut suarum Ecclesiarum Alumni in Seminariis, sive in domiciliis a multitudine secretis ac liberis ad omnem virtutem mature informarentur.

Sed quia in humanis rebus nihil est tam sancte ac salubriter institutum quod labentibus annis non languescat, hinc Clericorum Seminaria, atque etiam Monachorum Scholae auditores minus frequentes habere coeperunt, praesertim cum Academiae et Lycaea magna aucta propagataque sunt: et illud maxime dolendum, quod studium pietatis pene ubique negligeretur. Quapropter Episcopi ad Seminaria instauranda toto animo et studio omni incumbabant, cum demum Concilium Tridentinum Decreto lato sess. 23 cap. 18 de Reform. statuit « ut singulae Cathedrales, Metropolitanae, atque his

majores Ecclesiae, pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis et Dioecesis, vel ejus Provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere et religiose educare, et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. » Nihil autem obstat, quominus « in Ecclesiis amplas Dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in Dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae tamen ab illo uno quod in Civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependant, » ex eod. Decreto.

Pro recto Seminariorum regimine idem Tridentinum vult:

1. « Ut in iisdem non recipiantur, nisi qui « ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles ac voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. »
2. « Ut filios pauperum praecipue eligantur, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur. »
3. « Ut Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum Artium disciplinam discant. Sacram Scripturam, Libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, et maxime quae ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas, ediscant. »
4. « Ut Alumni tonsura et habitu Clericali semper utantur.... ut saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et juxta Confessoris judicium sumant Corpus Domini Nostri Jesu Christi et Cathedrali inserviant. »
5. « Ut discoli et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter puniantur, eos etiam si opus fuerit expellendo. »

Omnis vero jurisdictio, regimen, gubernatio, et administratio Seminariorum ad Episcopos spectat, cumque ea res

acrem curam diligentiamque desideret, duo Canonici Cathedralis Ecclesiae ab Episcopo eligendi sunt, quorum consilio utatur in iis quae ad Alumnorum institutionem, disciplinam, vitam moresque pertinent.

Duo quoque Deputati ex Canonici ejusdem Ecclesiae Cathedralis, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo, itemque alii duo Deputati ex Clero, alter ab Episcopo, alter a Clero eligendi sunt, eorumque consilium ab Episcopo adhibendum est: 1. in erectione Seminarii, nempe in iis quae ad fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad juventutem alendam, certosque fructus pro aliis sumptibus decernendos spectant. 2. Quotiescumque aliqua sive in unionibus Beneficiorum, sive in taxarum proportionem, sive in alio quocumque eventu difficultas oriatur. De unione autem Beneficiorum, et taxa nonnulla dicta sunt hoc libro superioribus § 85, 86 et 87. Praesentes vero esse debent, cum Administratores Seminarii gestae administrationis rationem reddunt, quae unoquoque anno reddenda est.

In his vero omnibus Deputatorum consilium Episcopus non cogitur sequi, sed ipsi liberum est ea facere quae pro sua prudentia et pietate potiora existimaverit.

## § 131.

## DE HOSPITALIBUS.

Hospitalia proprie dicta sunt loca suscipiendis hospitibus destinata. At passim eo nomine veniunt quaevis pia loca, sive hospitibus et peregrinis suscipiendis, sive pauperibus alendis, sive infirmis curandis, sive demum caeteris, qui aliena ope et auxilio indigent, recipiendis et educandis addicta. Cum Christus dixerit: « In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; probatio autem dilectionis exhibitio est operis: » hinc summa semper

fuit Ecclesiae cura in pauperibus miserisque hominibus fovendis atque recreandis, illudque pietatis officium fidelibus omnibus tantopere commendavit. Sed publica charitatis loca post pacem Ecclesiae datam exstructa sunt: ante enim id temporis per Religionis hostes non licuisset, et opera misericordiae in proximum, eo melius quo poterant, Christiani et in primis Episcopi excolebant.

Hospitalia autem generatim dicta vel laicalia sunt, vel ecclesiastica. Nonnulli Doctores loca pia omnia a laicis administrata, laicalia dixerunt; contra autem ecclesiastica quae a Clericis administrantur. Alii putarunt laicalia esse quae sine Oratorio erecta sunt, Ecclesiastica vero quae illud habeant. Sed magis recepta sententia est, quae tradit piorum locorum qualitatem arguendam esse ab auctoritate qua fundata sunt; ut scilicet ecclesiastica sint quae Episcopi auctoritate, laicalia quae injussu ejus fundata fuerunt; idque consonat doctrinae Sacrorum Canonum, qui tum religiosas habent domus divino cultui, aut pietatis operibus auctoritate Episcopi deputatas. Num igitur aliquis pius locus ecclesiasticus sit, an laicalis, ex decreto Episcopalis erectionis colligendum est, eoque deficiente, ex signis quae tantum conveniunt locis piis auctoritate Episcopi excitatis, uti est Altare, vel Ecclesia, sepultura vel coemeterium, et praesertim si jus administrandi Sacramenta ad ejus Rectorem pertineat.

Caeterum quaevis pia loca sive laicalia, sive ecclesiastica ab origine sua potestati Episcoporum obnoxia fuerunt, atque hanc Episcoporum potestatem non solum Canones, sed etiam leges civiles confirmarunt. Cui enim hominum generi poterant melius commendari ea loca quam Episcopis, quorum industria omnium maxima esse debet in charitatis operibus promovendis? At, labentibus annis, Hospitalium praefecti sive Laici, sive Clerici jugum excutere nisi sunt, ut Episcopis remotis liberius in rem suam eorumdem locorum bona converterent, idque praesertim saeculo XIV factum est. Hinc

tanto malo occurrere studuerunt posteriora Concilia; et quidem Concilium Viennense jus dedit Episcopis in eorum, qui locis piis praefecti essent, administrationem inquirendi, et in sibi subjectos non recte administrantes auctoritate propria, in exemptos delegata Pontificis auctoritate procedendi, locaque ipsa reformandi.

Postea Concilium Tridentinum, innovato Concilii Viennensis decreto, plura in eandem rem decreta edidit, et praesertim statuit: 1. ut exceptis Hospitalibus quae sub Regum immediata protectione sunt, quibusque Regia protectio in limine foundationis accessit, caetera hospitalia, omnisque generis loca pia visitationi Episcopi subessent in iis omnibus, quae Dei cultum, animarum salutem, et peculiare opus loci pii respiciunt, licet a laicis gubernentur. 2. Ut eidem Episcopo tum in visitatione, tum extra eam justa occurrente causa ratio administrationis quotannis redderetur, quod si consuetudine, privilegio, vel loci statuto aliis ad id deputatis rationes reddendae essent, tunc etiam una cum iis Ordinarius adhiberetur, et liberatio aliter facta administratoribus nihil prodesset. 3. Ut demum Episcopi possent coercere delinquentes, suisque legibus abusus tollere, ac bonum promoveri; sic tamen ut sinant loca ipsa juxta leges foundationis, et legitimas consuetudines administrari.

## § 132.

## DE IMMUNITATE ECCLESIARUM

Ecclesiarum immunitas est libertas illis competens ab eo omni, quod loci sanctitatem dedecet. Ipsae etenim sunt aedes Deo sacrae, et domus orationis, ut omnia in eis debeant ad Religionem et sanctitatem conspirare. Quare Ecclesiarum immunitas tum singulari honore et reverentia eis debita, tum jure asyli potissimum continetur. Et primo quidem ex capite

praecipua Ecclesiis habenda veneratio est, et procul ab eis arcendi cujusvis actus non modo illiciti, sed etiam simpliciter profani, quales sunt negotiationes, judicia, civiles conventus, profana colloquia, multoque magis ludi theatrales, choreae, cantus lascivi, et demum omnia quae vel divinum turbent officium, vel oculos Divinae majestatis offendant. Similiter piaculum est vasa sacra et Ecclesiarum utensilia in usus profanos adhibere.

Ex ipsa reverentia Ecclesiis debita profluit jus asyli, per quod debitores et rei criminum ad Ecclesiam confugientes tuti sunt, nec illinc sine piaculo avelli possunt. Ipsa quidem natura gentes docuit nefas esse eos violare, qui ad templa Diis sacra confugissent: hinc apud Graecos et Romanos templa, altaria, simulacra, luci sacri securitatis et asyli loco fuerunt. Apud Hebraeos autem, quorum vera Religio fuit, ex Dei ipsius mandato sex urbes refugii constitutae sunt, et Altare Templi ad se confugientes tuebatur, qui inviti vel inconsulto occidissent.

Jure asyli ab ipsis incunabilis donatae sunt Christi Ecclesiae. Namque sanctio Theodosii, L. 4 cod. Theodosiani de iis qui ad Eccles. confug., non primo jus asyli constituit, sed modum potius et limites decrevit, quod indubium argumentum est jampridem ea immunitate Ecclesias potitas esse. Concilium etiam Arausicanum I an. 441 decernit can. 5: « Eos qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet, sed loci reverentia et intercessione defendi. » Item can. 6: « Si quis autem mancipia Clericorum pro suis mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriat. » Videntur autem Patres Africani poenas adeo severas minitati non fuisse, nisi alii Canones jus asyli firmantes praecessissent.

Privilegio asyli perfruuntur ad Ecclesiam confugientes omnes quocumque crimine rei tam Clerici, quam Laici, nisi lege excipiantur. Excipiuntur autem: 1. Latrones publici, via-